



Nf. 23.



PROGRAMMA SACRVM,

QVO  
ACADEMIAE FRIDERICIANAE

PRORECTOR

ET

CANCELLARIVS,

IOANNES PETRVS

DE LVDEWIG,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS PORVS-  
SIAE CONSILIARIVS INTIMVS,  
CETERA,

VNA CVM

RELIQVIS PROFESSORIBVS,

CIVES ACADEMICOS

AD

FESTVM PENTECOSTES

ANNI SECVLARIS MDCCXXX.

PIO GAUDIO CELEBRANDVM,

INVITAT,

*ab.*

AC

SPIRITVM FORTITVDINIS, CARITATIS AC MODERATIONIS,

QVI

PIOS NOSTROS CONFESSORES IN COMITIIS AV-  
GVSTANIS SVO PRAESIDIO REXIT,

MEDITANDVM COMMENDAT.



HALAE MAGDEBVRGICAE,

STANNO LEHMANNIANAE VIDVAE.







**R**

Ediit, CARISSIMI CIVES, festus ille dies, quo sancti Spiritus beneficia celebrantur, qui in primos IESV CHRISTI præcones quinquagesimo post eius resurrectionem die illapsus, animos ipsorum collustravit, & ad gloriam Seruatoris optimi maximi amplificandam, caelesti igne inflammavit. Non illis tamen solis illustre hoc donum obtigit; verum in eos omnes etiam conditur, qui eorum sermone adducti in Christum credunt; qui proinde cum apostolis Domini vere gloriari possunt: *Non dedit nobis DEVS timiditatis spiritum; sed FORMITUDINIS, & CARITATIS, ac MODERATIONIS.* 2 Tim. 1, 7.

Quemadmodum vero DEVS ampliorem Spiritus sui mensuram iis largiri solet, quorum studio ad magna ac difficilia regni sui negotia feliciter expedienda vti constituit: ita eundem etiam morem isto tempore seruavit, quo puram euangelii doctrinam, dispulsis errorum papalium tenebris, LVTHERI sociorumque ipsius opera, luci restituere volebat. Magnum opus erat, & supra humanas vires positum, quod in augusta Vindelicorum vrbe ante duo secula supremus ecclesiae arbiter moliebatur; ad quod perficiendum valido diuini Spiritus adflatu animi Confessorum confirmandi erant. Conuenerant in illa ciuitate circa *pentecostales* solemnitates Status euangelici, IOANNES, dux Saxoniae elector, cum filio IOANNE FRIDERICO, GEORGIUS, marchio Brandenburgensis, ERNESTVS, dux Luneburgensis, PHILIPPVS, Hassorum landgrauus, WOLGANVS, princeps Anhaltinus, nomina ad omnem posteritatem commemoranda, ad fidei suae confessionem publicis in comitiis tradendam. Comitabantur eos præstantes verbi diuini interpretes, PHILIPPVS MELANCHTHON, IUSTVS IONAS, GEORGIUS SPALATINVS, IOANNES BRENTIUS, VRBANVS REGIUS, ERHARDVS SCHNEPFIUS, aliique, qui precibus atque consiliis optimorum principum



pum conatus suffulciebant. Hic vero DEVS scenam aperuit, haud absimilem Hierosolymitanæ, & quæ primi festi pentecostalis speciem quandam referebat.

Vrbs Hierosolymitana referta illo tempore erat ingenti aduenarum multitudine Actor. II, 5. 6. Tanta vero hominum copia urbem Augustanam replebat, tantus Germaniæ procerum nobiliumque numerus\* ad eam confluebat, vt vix ciuitatis tecta sufficerent, tanta frequentia capiendæ.

Ibi diuersissimarum gentium ac nationum homines, Romani, Parthi, Medi, Elamita, aliorumque imperiorum ciues, conuenerant, Actor. II, 9. 10. 11. Hic non minus Itali, Hispani, Angli, Galli, Bataui, Germani, aliarumque prouinciarum incolæ, dignitatum ordine diuersissimi, sine numero conspiciantur.

Ibi IESU CHRISTI discipuli mirifice inter se conspirabant, Actor. II, 1. 46. Hic non minus inter eos, qui purioribus sacris addicti erant, tanta erat animorum voluntatumque consensus, vt nihil agerent, nisi consiliis inter se communicatis, \*\* nullusque inuidiæ ac suspicionibus locus concederetur.

Ibi precibus cælum continuis fatigabatur, Act. I, 14. cap. IV, 24. Hic maximum bonæ causæ prasidium in precibus positum erat, quas egregius Saxonæ elector non solum ante discessum ex prouinciis suis, omnibus verbi diuini ministris serio commendauit, vtque populum etiam ad eas cohortarentur, grauitè iussit; sed ipse etiam Augustæ fudit, ad felicem tanti negotii successum a DEO obtinendum.

Ibi extitit repente de cælo sonus quasi vehementis flatus ruentis, totamque domum repleuit, Act. II, 2. Hic fama, rerum Augustæ gestarum nuntia, per vniuersam fere Europam resonabat. Neque deerant varia comminationum vexationumque genera, quæ instar procellæ in confessorum animos vehementi cum impetu irruerant.

Ibi diuiduæ quædam quasi ignis linguæ conspectæ sunt, Act. II, 3. Hic cælesti igne animi calebant, atque ingenti pro DEI gloria zelo inflammabantur.

Ibi diuersis linguis doctrina cælestis proponebatur, Actor. II, 4. Hic purioris doctrinæ confessio, lingua latina pariter atque germanica conscriptra, tradebatur Cæsari, eiusque iussu in Italicum, Hispanicum ac Portugalicum sermonem vertebatur; immo vero Belgicæ, Angli-

A 2

cana,

\* Nominibus nobilium, consiliariorum & aulicorum, qui in comitatu principum Augustæ fuerunt, quatuordecim folia maioris formæ impleuit Georgius Cælestinus, in historia comitorum, parte IV. fol. 121. seqq.

\*\* Cælestinus, part. I. f. 122. a.



canæ, Gallicanæ, Bohemicæ, Slauonicæ ac Græcæ linguæ vehiculo ad exterâs etiâ gentes properabat.\*

*Ibi* attoniti omnes dictis auscultabant, A& II, 6. *Hic* fidei formula, Germanico idiomate clara voce a BAIERO prælecta, incredibili attentionis ardore, per duas horas continuato, a magno mortali-um multitudinè audita fuit.

*Ibi*, quæ DEVS agebat, varia variorum iudicia subire cogebantur. Quidam enim, percussis tantarum rerum insolentia, stupebant, alii ridebant, alii conuitiis proscindere apostolos, alii minis terrere conabantur, A& II, 12. 13. c. IV, 17. 21. *Hic* non minor iudiciorum diuersitas audiebatur.\*\* Non pauci inter ipsos magnates, qui euangelicorum doctrinam hæresum omnium sentinam esse audierant, benignius de ea sentire coeperunt. Quin Augustanus episcopus, CHRISTOPHORVS STADIANVS, commemorabilem hanc in priuato colloquio vocem emisisse dicitur: *Insciriari non possumus, vera esse, quæ recitata sunt.*\*\*\* Alii maius odium aduersus doctrinam nostram concepere, dira quæuis eius confessoribus comminati.\*

*Ibi* principes populi silentium imponere veritatis præconibus fagebant, qui tamen, DEO plus quam hominibus obtemperandum esse contenderunt, A& IV, 17. 18. 19. c. V, 29. *Hic* eadem vox articulo XVI. Augustanæ confessionis publice recitata: Debent christiani magistratibus obedire, nisi quum iubent peccare. *Tunc enim magis debent obedire DEO, quam hominibus.* Hinc, quum post prælectam confessionis confutationem, quam pontificiorum doctorum turba misere ac futiliter adornarat, Cesaris mandatum FRIDERICI Palatini voce efferretur, vt ne quis hæc contra hiscere auderet, sed omnes in hac confutatione acquiescerent, eique calculum adderent suum:\*\* minime tamen interdictum illud, verbo DEI contrarium, confessorum linguam calamumque a veritatis defensione potuit prohibere.

Sed mitimus rei circumstantias, quibus diuina sapientia, non fortuitus aliquis casus, tot vestigia similitudinis impressit. Illud præcipue nostra dignum est obseruatione, eundem illum *Spiritum* FORTITVDINIS, CARITATIS, ac MODERATIONIS, qui in primos Christi discipulos

\* Conf. CL. *Christiani Aug. Saligii vollstendige Historie der Augsburg. Confession*, hoc ipso anno Halæ excusa, p. 710. seqq. vbi simul obseruatur, post sacram scripturam, *Kempisique* libellum de imitatione Christi, & *Grotii* scriptum de veritate relig. christ. vix alium extare, præter Augustanam confessionem, librum, in tot linguas transfusum.

\*\* Vide *Saligii* hist. confess. p. 224. seqq.

\*\*\* Vide *Cælestini* hist. comit. part. II. p. 206. b.

\* Tom. V. *Altenb.* p. 157. seqq.

\*\* *Cælestinus*, part. III. f. 17.



los effusus est, eorum etiam pectora inhabitasse, qui in comitiis Augustanis fidem publice profitebantur.

Quis enim quæso erat, qui illorum animum ad casus omnes ferendos confortabat, generosumque periculorum contemptum ipsis inspirabat, nisi *Spiritus ROBORIS AC FORTITVDINIS* spiritualis? Equidem non parem omnes huius fortitudinis mensuram acceperant; verum, sicut heroes Daudici, ita etiam heroes isti Christiani, animi robore virtutisque gloria alter alterum vincebant. PHILIPPVS MELANCHTHON uti a natura acceperat ingenium anxium ac formidinis plenum; ita sæpe cum metu, qui animum frangit ac debilitat, conflictabatur, \* hinc periculorum imminetium conspectu territus, illinc hostium minas inter atque illecebras circumactus. Sed DEI tamen providentia factum est, ut in maximo rerum discrimine non profusus timoris fluctibus absorberetur; verum IOANNIS electoris præsentia, ac LVTHERI, quin exterorum etiam hominum, literis confirmatus, staret in acie, ac se virum præstaret. Erat inter exteros illos, quorum literis erigebatur, LVCIVS quidam PAVLVS ROSELLIVS, vir doctus, qui Venetiis ad Melanchthonem hæc inter alia scribebat: \*\* *Quum nuper a Georgio Curione, tibi summa caritate deuincto, acceperim, te Augustæ esse, honoris Christi, veritatisque euangelicæ defendendæ aduersus impios quosdam lupos christianarum animarum deuoratores, gratia; visum est mihi, has meas ad te dare, teque hortari, ut prouinciam hanc euangelicæ veritatis tutandæ præsentis quidem animo susciperes, neque imperatoris aut pontificis, vel alius cuiusdam mortalis, sed solius immortalis DEI rationem haberes. Te igitur, tanquam omnium euangelicorum caput, exercitusque euangelici præfectum, rogo atque obsecro, ut nihil omittas, quod ad salutem animarum pertinere videatur. Etiam si mors tibi subeunda foret ob Christi gloriam, eam ne expauescas quæso. Maximum enim tibi apud Dominum Iesum Christum comparabis triumphum, si causam eius iustissimam tutatus fueris, ad quem quidem adipiscendum te non parum iuuabunt multorum preces, qui die nocteque DEVM optimum maximum rogant, ut rem euangelicam bene vertat, & per sanctum suum sanguinem TE ceterosque euangelicos viros seruet. Vale, & Christi causam ne deserat.*

In LVTHERO tamen maior elucebat heroici Spiritus virtus, quippe qui, Coburgi interim relictus, non ipse solum bono ac forti animo erat, sed alius etiam per crebriores literas, Augustam missas, animum

A 3

adde-

\* Vid. illustr. Seckendorffii *h'istoria Lutheranismi*, ed. lat. lib. II. p. 158. 176.

\*\* Extat illa epistola, Venetiis d. 3. Cal. Augusti, 1530. scripta, in *Cælestini hist. comit.* part. II. p. 274.



addebat. Digna est, quæ legatur, scripta ab ipso ad IOANNEM electorem epistola, succi & consolationis plenissima.\* Dignæ sunt, quæ legantur, eiusdem literæ ad IONAM, BRENTIVM, SPALATINVM, atque inprimis ad MELANCHTHONEM suum, exaratae. GEORGIUM SPALATINVM monebat,\*\* contemnendas esse fortiter minas atque odia & iactantiam aduersæ partis. Ad querulas MELANCHTHONIS literas hæc responderet:\*\*\*  
*Quid ad te potissimum scribam, mi Philippe, plane ignoro; ita reuerberant me cogitationes de tuis pessimis vanisque curis. Si falsum est, DEVM pro nobis filium suum dedisse, diabolus aut quivis alius sit mei loco. Si vero id verum est, quid angimur quæso & trepidamus? Quasi nolit ille in rebus lenioribus adesse, qui filium dederit; aut quasi Satan sit potentior ipso. Tu vitam tuam contemnis; sed publicæ causæ metuis. Ego vero de publicæ causæ satis magno & otioso sum animo, qui certo scio, ipsam esse iustam & veram; denique ipsius Christi & DEI. Proinde pene securus spectator sum, ac ipsos minaces ac feroces papistas ne huius! quidem facio. Si nos ruemus, ruet & Christus, scilicet ipse imperator mundi. Et esto, ruat; malo ego cum Christo ruere, quam cum Cesare stare. Certissimum est, quod Christus sit victor mundi. Quid ergo victum sic formidamus, quasi victorem? Scio, imbellicitatem id esse fidei. Sed oremus cum apostolis: auge nobis fidem, Domine. Alio tempore, quum MELANCHTHON scripsisset, se magnam partem temporis in lacrimis Augustæ consumere, infirmum esse euangelicorum partem, maiorem esse aduersariorum numerum; qui nil nisi bella meditentur; mascule respondebat LUTHERVS:\*\*\* Cuius tuas vehementer odi. Non est magnitudo causæ, quæ nos excruciat, sed magnitudo incredulitatis nostræ. Et ut sit magna, magnus est actor & auctor eius; neque enim nostra est. Cur igitur sine respiratione te angis. Si est causa falsa, reuocemus. Si vera est, cur facimus Deum in tantis promissis mendacem, qui iubet nos esse animo otioso? Ego vero, quod ad causam attinet, non valde turbatus sum. Si augeatur periculum, vix continebor, quin ad vos aduolem, visurus gyrum istum dentium Satanae formidabilem.*

Eadem vero divinis ac potentia, quæ ex literis LUTHERI, ad amicos Augustanos datis, resplendescit, in precibus etiam eius, Coburgi tunc fulis, enitebat. Non possum satis mirari, (sic VIIVS ad MELANCHTHONEM)

THO-

\* Tomo V. Ien. Germ. fol. 23. 24.

\*\* Tomo V. Ien. Germ. f. 43. & latine apud Cælestinum, part. II. p. 228.

\*\*\* Tomo V. Ien. f. 42. & apud Cælestinum, part. II. fol. 138.

Apud Cælestinum, part. II. fol. 198.

Apud Cælestinum, loc. cit.



THONEM\*) *ingulari hominis in his acerbissimis temporibus constantiam, hilaritatem, spem, fidem. Assidue autem illa diligentiore verbi diuini translatione alit. Nullus ubi dies, quin ad minimum tres horas, easque studiis aptissimas, orationi consecret. Semel mihi contigit, ut orantem eum audirem. Bone DEVS, quantus Spiritus, quanta fides in ipsius verbis inest! Tanta reuerentia aliquid petit, ut cum DEO; tanta spe & fide, ut cum patre & amico se loqui sentiat. Scio, aiebat, te patrem & DEVM nostrum esse; certus igitur sum, quod filiorum tuorum persecutores sis perditurus. Quod si non facies, tuum periculum cum nostro est coniunctum. Tuum hoc negotium totum est. Nos ad illud conati accessimus; tu igitur defendes.*

Eundem vero Spiritum fortitudinis, qui LVTHERI pectus animabat, principum etiam euangelicorum animos isto tempore confortasse, dicta ac facta ipsorum omnia satis superque testantur. Quum Caesar, vix Augustam ingressus, ab ipsis postularer, ut processioni solemniori interesset, quæ die XVI. Iunii in honorem corporis Christi a Romana ecclesia institui solet: se comicam illam corporis Christi circumgestationem, in sacris literis nusquam præceptam, sua præsentia comprobare posse, constanter negarunt. Et quamuis, hac voce audita, Caesar non tam iubere, quam rogare videretur; maluerunt tamen conscientia, quam imperatori, parere.\*\*

Eminuit imprimis isto tempore IOANNIS Saxoniae ducis, insignis constantia. Die XX. Iunii, quo propositio Caesaris ordinibus publicabatur, conuocatos ille ad se socios serua ac graui oratione cohortatus est, ut causam DEI ac religionis diligenter agerent, ac intrepide defenderent, nullisque aduerfariorum minis ad eam deferendam sese adduci paterentur. Omnia enim contra DEVM inita consilia irrita ac inania fore, & procul dubio bonam causam tandem esse triumphaturam.\*\*\* Quum deinceps quidam pontificia partis princeps atrocem hanc formulam protulisset: Nisi dux elector Saxoniae noquam, quam amplexus esset, LVTHERI doctrinam abiiceret, fore, ut imperator ipsum armata manu superatum ac victum, dignitate & possessione omni, quin ipsa denique vita priuaret: turbatus quidem adparebat constantissimus in mortem vsque veritatis confessor, atate prouectus & corpore infirmus; sed spiritu fortitudinis suffultus, recollectit animum, istasque comminationes generoso contemptu spreuit.

\* Tom. IX. Altenb. in append. p. 1573. & Tom. V. p. 244.

\*\* *Calesinus*, in hist. comit. part. I. f. 81. seqq.

\*\*\* *Calesinus*, ibid. f. 121. 122.



uit. \* Denique quum a Cæsare irato nulla alia conditione iurium suorum confirmationem, quam inuestituram vocant, obtinere posset, nisi cum ecclesia Romana in gratiam redire vellet: præclarum prorsus christiana magnanimitatis exemplum dedit, omnium seculorum memoria dignum, dum nullis fractus minis aut terroribus, nec vllis augenda suæ aut filii potentia, & opum expectationibus ac promissis languefactus, doctrinam euangelii, quam amplexus erat, se omnibus rebus humanis anteferre, pia animi exœlſi & in DEO firmiter acquiescentis alacritate demonstrauit. \*\*

Nec minor virtus GEORGII, marchionis Brandenburgici. Quum enim de silentio, concionatoribus euangelicis Augustæ imponendo, paullo seuerius eum eo ageretur, admota manu collo optimus princeps dixit, *mallo se, flexis coram Cæsare genibus, carnisfici ceruicem ferendam præbere, quam DEVM & sacrosanctum eius euangelium abnegare.* Quumque iuberet Cæsar, vt die crastino processioni pontificiæ principes euangelici adessent: idem GEORGIVS, conuersus ad Cæsarem, *In hac, inquit, caussa, quæ ad DEVM pertinet, postulatis eiusmodi repugnare & aduersari cogor, quæcumque immineant pericula; quum scriptum sit: DEO magis obedite, quam hominibus. Idcirco propter confessionem doctrinæ, quam scio esse vocem Filii DEI, non reuſo vlla discrimina, ne quidem captis, quæ veram religionem amplectentibus propoſita esse audio.* \*\*\*

Idem animus reliquorum principum euangelicorum. ERNESTVS, dux Luneburgicus, SPALATINVM præceptorem iuuentutis nactus, nusquam IOANNI electori defuit, nec ob puræ doctrinæ confessionem vlla vel odia vel pericula defugit. Erat ille ornatus multis magnisque virtutibus, quarum etſi quasdam natura inchoauerat, tamen illæ maiores fuerunt, quæ in ipſo per Filium DEI, voce euangelii, & Spiritu sancto, accensæ fuerunt, vera scilicet agnitio DEI, vera inuocatio, fides, dilectio DEI, *animi celsitudo, moderatio animi in perferendis iniuriis.* \* De PHILIPPO magnanimo, ac WOLFGANGO, principe Anhaltino, similiter varia narrantur animi fortis constantisque indicia, quorum tamen recensio nunc quidem immorari non licet. \*\*

Cum

\* *Seckendorſii* hist. Luther. lib. II. p. 168. 175.

\*\* Sunt verba *Coelestini* in *hist. comit.* part. II. f. 243.

\*\*\* *Vid. Seckendorſii* hist. Luther. lib. II. p. 168. 175.

\*\* Sic *Paxmannus*, in orat. de hoc *Ernesto*, quæ extat in *Melanchthonis* *declamat.* tom. IV. p. 664.

\*\* *Vid. Io. Saubertus* de miraculis A. C. p. 378. & *Saligii* hist. A. C. p. 197.



Cum illo autem sanctæ fortitudinis Spiritu coniunctus erat in piis istis confessoribus *Spiritus CARITATIS*, qui ipsos, de DEI erga se favore conuictos, amore DEI atque proximi replebat. Quod DEVM amauerint supra omnia, abunde prodit flagrantissimus eorum pro diuina gloria zelus, quo fiebat, vt curas suas cogitationesque vniuersas ad instaurationem puræ, quam DEVS patefecit, doctrinæ conuerterent, nullisque periculis a sancto isthoc instituto reuocarentur. IOANNES certe, decus Saxonix ducum immortale, tanto flagrabat IESV CHRISTI amore, vt in eo diligendo & confitendo nemini quidquam concedere vellet. Quum enim confessio doctrinæ publice tradenda esset; theologi eius declarabant, nolle se, vt elector in dubiam adducatur fortunam. Quod si igitur palam a partibus ipsorum stare vereatur, se solos coram Casare comparituros, ad dogmatum suorum rationem ipsi exponendam. Tum vero princeps eximius, DEVS, inquit, *tantum malum auertat, vt a vestro consorcio disiungar. Enimvero & ego Christum, Sospitatorem meum, vobiscum strenue confitebor.* \* Idem ille IESV CHRISTI amor efficiebat, vt libenter erogaret ingentes sumtus, istis comitiis a se impendendos, qui augebantur quotidie per moram Casaris, quem per sex hebdomadas Elector Augustæ præstolabatur.

Qui vero fieri potuisset, vt *homines* non amarent, qui DEVM tanto amore prosequerentur? Quid enim erat, quod ipsos ad edendam doctrinæ suæ apologiam tanto studio adornandam incitabat, nisi amor eorum, qui, aduersæ partis obreclationibus seducti, euangelii doctrinam, tamquam omnis impietatis colluuiem, infano odio insectabantur, grauissimisque conuiciis principes euangelicos profecerant, ac si euangelio repugnantia suis in ditionibus spargi libere ac doceri paterentur.

Quin vniuersam IESV CHRISTI *ecclesiam* curæ ipsis cordique fuisse, labor ipsorum demonstrat, in procuranda omnium ordinum salute laudabiliter susceptus. Quod a magistratum odio prorsus alieni fuerint, euidetum satis dederunt, quod summam auctoritatem, diuinitus ipsis concessam, sed pontificum proteruia pæne extinctam, articulo XVI. confessionis vindicare studuerunt; quod studium principibus magnam attulit vtilitatem. Quum enim summus imperator CAROLVS V. sexto ante comitia Augustana mense inter missæ solemniam aquam infundere manibus pontificiis abluendis, quin paulo post, quum Bononiæ diadema ex Papæ manibus acciperet, stratoris officium

B

um

\* Refert hæc *Io. Ioach. Müller*, in hist. A. C. p. 575.



um ipsi præstare, \* eiusque exosculari pedes, \*\* cogeretur: nunquam legimus, feruilem istum honorem ab vilo imperatore post Augustanæ confessionis exhibitionem, pontificibus præstitum fuisse. \*\*\* Amor *status ecclesiastici* impellebat pios confessores, vt intolerabile iugum Romanorum episcoporum ab eius ceruice deuoluere, eiusque honorem a Christo concessum in integrum restituere, & ad apostolica præscripta episcoporum ac doctorum officia reuocare laborarent. \* Amor *status æconomici*, quem tantum non absorpserat monachorum auaritia ac libido, faciebat, vt conscientias misere oppressas vinculis antichristianis exsoluerent, labem coniugio adspersioni abstergerent, hominesque docerent, in domesticis etiam ac tenuissimis vocationibus DEO cum laude seruire posse. \*\*

Quanto denique *veritatis* ac *verbi diuini amore* incensi fuerint sancti confessores, id vero vix eget exemplorum comprobatione. IOANNES certe, Saxonix elector, non in itinere solum, quo Augustam contendebat, sapius e sacro suggestu audiebat theologorum suorum, Lutheri maxime, conciones; \*\*\* sed priuatos etiam intra parietes sacerarum literarum meditationi cum voluptate vacabat, ita vt quidquid a negotiis vacui temporis haberet, id totum in scripturæ sacrae, atque in primis in hymnorum Dauidicorum, lectionem conferret. \* Quam ægre proinde consenserit, vt iussu Cæsaris euangelicorum doctorum conciones Augustæ silerent, ex actis comitiorum constat. \*\*

Pulchrum vero fortitudinis atque amoris temperamentum *Spiritus sancti* siue MODERATIONIS præstabat, quo factum est, vt Confessores sobria ac bene composita mente, prudenter ac moderate sacra religionis negotia tractarent, neque ad defectuum intemperie ad turbulentas præcipitatasque actiones abriperentur. Sæpe testatus est IOANNES constans, se neque curiositate, neque cupiditate vlla, neque studio

\* *Odoricus Raynaldus*, in continuatione annalium *Baronii* ad annum 1530. n. 39. Cæsar, omni populo inspectante, pontifici ascendenti equum *stratoris* (Stall-Knechts) officium exhibuit, pedem sustinuit, frænum tenuit.

\*\* *Raynaldus*, loc. cit. n. 29.

\*\*\* Ipse id fateur *Lud. Thomassinus*, presbyter pontificius, *de ecclesie disciplina*, part. II. p. 769. Post Caroli V. coronationem, qui ante summis pontificibus a summis principibus habebantur honores, nusquam postea occurrerunt.

\* Vide Aug. confess. art. V. VII. VIII. XIV.

\*\* Vide apolog. Aug. conf. p. 95.

\*\*\* *Coelestinus* part. I. f. 29.

\* *Melanchthon* in declamat. tom. II. p. 674.

\*\* *Coelestinus*, part. I. f. 32, seqq.



studio contentionis, a consensu tot seculorum ac gentium discessisse, sed se moueri DEI mandatis, ne agnita veritati aduersaretur. \*\*\* Quum Augusta laudabilis Senex discedens Cæsari valediceret, alacri animo dixisse fertur, se certo certius scire, doctrinam in confessione sua expressam tanto Scripturæ consensu ac testimonio firmatam esse, vt ne portæ quidem inferorum illam euertere queant. \* Adeo ex conuictione omnia, non cæco aut temulento impetu, pius princeps cum sociis suis agebat. Diuinus ille moderationis spiritus ita regebat eorum animi *fortitudinem*, vt a violentis remediis abstinerent, mallentque precibus ac rationum pondere, quam armis, quibus alioqui tractandis IOANNES satis adfectus erat, \*\* aduersus aduersarios depugnare. Idem vero Spiritus ita regebat eorum *amorem*, ne pacis studio quidpiam euangelio indignum committerent, nec a veritate recederent vel latum vnguem; qua in re LVTHERVS MELANCHTHONIS animum, ad cendum sapius inclinatum, sapienter ac grauiter compescebat. \*\*\*

Tota confessionis series, nec non eius ad Carolum V. præfatio, loquitur, quanta lenitate inceserint confessores, quamque studiose euitauerint omnia, quæ animum Cæsaris ac reliquorum principum, qui ex parte aduersa stabant, exacerbare poterant; quam moderationem ipse LVTHERVS, quamquam feruentiore spiritu præditus, adprobabat. Quum enim Elector mitteret ad ipsum confessionis, quæ tunc *apologia* vocabatur, formulam, a Melanchthone consignatam, vt, quid sibi de ea videretur, candidè aperiret; Lutherus rescripsit: *Perlegi apologiam, a Philippo conscriptam, quæ mihi eximie placet, nec quidquam in ea mutare possum. Neque etiam a me aliquid emendari conueniret. Ego enim ita molliter & delicate incedere nequeo.* \* Plurimum boni hac moderatione ecclesiæ allatum fuit; quam certe non natura, sed Spiritus sanctus, in istis suis instrumentis produxit.

Agite vero, o NOSTRI, & vt eundem illum *fortitudinis, amoris ac moderationis* Spiritum, qui olim religiosos vtriusque ordinis confessores agitauit, vos etiam obtineatis, diligentissimis apud DEVM  
B 2 pre-

\*\*\* Vid. Melanchthonis declam. tom. II. p. 733.

\* Seckendorffo teste, in hist. Luth. lib. II. p. 201.

\*\* Eum enim fortem militem, & quum Alba regalis Turcis eriperetur, primum in muro scalis consensu fuisse, refert Lindemannus, tom. III. declamat. Melanchth. in habita de oratione.

\*\*\* Vide *Coelestinum*, part. II. f. 229. seqq.

\* *Coelestinus*, part. I. f. 42. b.



precibus efflagitate. Quo magis vestram senseritis infirmitatem; eo ardentius Spiritum ROBORIS implorate, qui vires vobis largiatur, animumque addat, vt, nullis deterriti impedimentis, DEO vos totos consecretis. Absit, vt humanæ fragilitatis titulo impietatem vestram velare, vosque maligno Spiritui, quasi is Christo validior sit, tamquam mancipia, ad omne scelus profligata, sistere velitis. Excutite iugum, quo non turpius vllum. Discite amare veram libertatem, in quam Spiritus fortitudinis vos immittet, si modo eius disciplinam non detrectetis. Is malaram consuetudinum, is prauorum sôdalitiôrum vincula dissoluet. Is arma vobis, is animum suppedabit, is victoriam vobis concedet, is alacres vos atque animosos reddet, vt, de DEI favore certi, DEI gloriam amplificare, veritatem, media inter pericula confiteri, aduersa quæuis constanter perferre, quin vitam etiam sanguinemque profundere Christi causa possitis. At enim vero CARITATIS etiam Spiritum intra pectus vestrum admittite, quo illud, DEI amore perfusum, Rom. V, 5. amore erga DEVM & homines totum incalescat, vt impuris amoribus, vt odiis ac dissensionibus inde proscriptis, amoris diuini Spiritus ibi regnet, suisque vos facibus ita vrat, vt aliorum etiam commodis, confessorum exemplo, libenter inferuiatis, nullosque labores, discrimina nulla, religionis ac publicæ salutis causa adeunda, subterfugiat. Denique, duce MODERATIONIS ac prudentiæ Spiritu, ad genuinam mentis corpôrisque sobrietatem contendite. Absint crapulæ, absint comotationes, absint belluini ebrioforum hominum clamores. Absit vero non minus animi temulentia, noxiorumque adfectuum tumultus, qui mentem turbat, precesque ac verbi diuini suffocat meditationem. Permittite vos, o CARA PECTORA, miti cælestis Spiritus imperio, vt mente tranquilla ac bene composita non hosce solum dies, eius memoria facturos, sed quidquid vitæ reliquum est, sancte ac prudenter transigatis. Valete.

*In regia academia Fridericiana.*  
d, XXVII. Maii, Anno MDCCXXX.






Ja 30/11

St


Witt

1777









**PROGRAMMA SACRVM,**  
<sup>QVO</sup>  
ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
**PRORECTOR**  
<sup>ET</sup>  
CANCELLARIVS,  
**IOANNES PETRVS**  
**DE LVDEWIG,**  
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS PORVS-  
SIAE CONSILIARIVS INTIMVS,  
CETERA,  
<sup>VNA CVM</sup>  
RELIQVIS PROFESSORIBVS,  
CIVES ACADEMICOS  
<sup>AD</sup>  
**FESTVM PENTECOSTES**  
ANNI SECVLARIS MDCCXXX.  
PIO GAVDIO CELEBRANDVM,  
INVITAT,  
<sup>AC</sup>  
SPIRITVM FORTITVDINIS, CARI-  
TATIS AC MODERATIONIS,  
<sup>QVI</sup>  
PIOS NOSTROS CONFESSORES IN COMITIIS AV-  
GVSTANIS SVO PRAESIDIO REXIT,  
MEDITANDVM COMMENDAT.

~~~~~  
HALAE MAGDEBVRGICAE,  
STANNO LEHMANNIANAE VIDVAE.

